



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Martalense Coenobium ordinis Præmonstratensis ad dextram Danubii, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Umstad. 13. *D. Apollonia Lupoldina*, ex *Umstado*, oppido *Aschem-*
burgensi civitati vicino nata, successit *Dominæ Margaretae*.
 præfuit annis 25. Obiit in vigilia Pentecostes anno Domini
 1531. in superioris *Rhetiaë* thermis *Amasiacis*, ad quas ægrota,
 recuperandæ valetudinis ergo, concesserat. Vehitur inde ad
Erbach,
Cœnob. *Erbachianum* cœnobium in *Ringoviam*, ibiq; honorifice sepe-
 litur. Ejus enim loci Abbas supremus visitator est monialium
 hujus congregationis.

14. *D. Margareta Halbquertina*, *Wormaciensis*, constitui-
 tur in locum *D. Apolloniæ* defunctæ. Præfuit annis 12. Obiit
 anno Christi 1543.

Corneus
Sifridus,
hörn
Seyfrid. 15. *D. Elisabetha Heerdina*, ex *Francofurto Moeni* honestis
 parentibus nata, eligitur statim eodem anno, quo prædicta de-
 cessit. Hæc isto adhuc currente Jubilæo feliciter & laudabiliter
 præest, humanissima & optima *Dominæ*. Sunt in hujus cœno-
 bii vicinia duo sacella, non procul à se invicem distita, quorum
 unum *S. Meinardo*, alterum *D. Cæciliæ* dicatum est. In medio
 horum sacellorum & interiacente spatio humatus dicitur *Cor-*
neus Sifridus, *Vangionum* urbis *Gigas* stupendæ altitudinis &
 roboris admirandi, de quo extat hodie adhuc poëma quoddam
 Germanicum *der hörnin Seyfrid* inscriptum. Tumulus duo-
 bus è terra prominentibus saxis notatus, ter à me dimensus, ha-
 bet in longitudine pedes quadraginta quinque. Lancea hujus
 Gigantis ostenditur in summo templo urbis *Vangionum*. *Maxi-*
milianus Imperator, antiquitatum omnium studiosissimus Prin-
 ceptus, cum anno 1495. comitia *Wormaciæ* celebraret, aperiri &
 effodi tumulum jussit, sed præter aquas nihil in eo invenit.

MARTALENSE COENOBIVM ordinis Præmonstra-
 tensis ad dextram Danubii, è Suevia descendens, inter
Riedlingum & *Ehingum*, præclara *Austriacæ* domus oppida, in
 firmissima rupe situm ac magnificis ædificiis conspicuum, ex
Canonicorum collegio in monasterium conversum, & quasi de
 novo fundatum & dotatum est in honore principum *Aposto-*
lorum Petri ac Pauli anno Domini 1171, ab *Hugone III. Pala-*
 tino

tino Comite Tubingensi ejusq; conjuge Elisabeta, Rudolphi Brigantini Comitum filia. In eo celebris est sepultura nobilium regularum de Lapide, ut insignia eorum triginta sex tabulis appicta attestantur. Est & peculiare sacellum, in quo Nobiles viri de Hoheneck suum habent reconditorium. Habuit hoc cœnobium initio gubernatores præpositos, qui postea ad Abbatum dignitatem à summis Pontificibus evecti sunt: horum talis habetur catalogus.

1. *Eberhardus* primus præpositus sedit annis septem. Obiit 15. Kalendarum Aprilis anno 1178. sub cujus imagine talis est inscriptio: *Iste plantavit.*

2. *Ulricus* secundus præfuit annis 7. Obiit 4. Kalendarum Maii anno Christi 1185. *Iste rigavit.*

3. *Gerlochus* successit Ulrico. Sedit annis 2. Cessit voluntarie quietis ergo anno 1187. Tandem paralyticus factus. Unde hoc psalmodico symbolo usus libenter fertur: *Glorabor in infirmitatibus meis.*

4. *Manegoldus* sedit annis 14. *Per hunc Deus incrementum dedit.* Iccirco hoc ipsius imagini symbolum antiquitus adscriptum erat: *Bonum certamen certavi, quia plus omnibus laboravi.* Obiit anno Domini 1201.

5. *Menhardus* sedit annis 4. & cessit de loci & ecclesiæ gubernatione anno Domini 1205.

6. *Henricus* sedit per unius tantum anni spatium, & resignans in peregrinas insulas profectus est, ubi multa perpeffus dicitur.

7. *Waltherus* constituitur septimus præpositus anno Domini 1206. Sedit annis 6. & deturbatus est à gubernaculo anno 1213.

8. *Rudigerus* sedit duobus ferè annis, & cum negligenter præfisset, exauthoratus est.

9. *Rodolphus* sedit annis 13. & lepra infectus cessit anno 1228. Erat gubernator alioqui fidelis & prudens.

10. *Waltherus* Rudolpho successit. Sedit annis 14. & anno Domini 1243. 4. Kalend. Febr. obiit. Is præclaris ædificiis illustravit monasterium.

11. *The-*

11. *Theodoricus* sedit annis 9. Obiit 8. Kalend. Junii anno Domini 1252. Ille prudenti œconomiae administratione tantum effecit, ut cœnobium à debitis sexcentum librarum liberaretur.

12. *Fridericus* successit Theodorico. Sedit per unum annum, & resignato gubernaculo Laurissam cœnobium non procul à Wormacia ad Rhenum situm adiens ibi obiit.

13. *Henricus* sedit annis 14. & 7. Kalend. Decemb. obiit anno 1268.

14. *Conradus* sedit annis sex, & in Aprili anni 1274. obiit. Sub ejus gubernatione expugnatum est anno 1269. castrum Altenburg, castrum, cujus è regione monasterii siti supersunt quædam adhuc vestigia cum multis subterraneis cavernis. Sub eodem abrogatum est bono & pio omnium fratrum consilio monasterium fororum sub Priorissa viventium, quod eidem Martalensi monasterio junctum erat, idque factum legitur anno Domini 1273. juxta hujus epistolæ tenorem, in qua facti hujus ratio redditur.

Anno Verbi incarnati M. CC. LXXIII. Dominica, qua cantatur, *Judica me Deus, Nos Conradus, præpositus de Martello, cum universo conventu Canonicorum nostrorum attendentes, quod mulierum nequitia superet omnes nequitas, quæ sunt in mundo, & quod non est ira super iram mulieris, quodq; venena aspidum & draconum sanabilia sint homini & mitiora, quàm familiaritas mulierum, decrevimus pari consensu & communi consilio, saluti tam animarum quàm corporum, & etiam rerum, in posterum providere volentes, ut aliquas de coetero forores ad augmentum nostræ perditionis nullatenus recipiamus, sed eas quasi venenata animalia recipere devitemus. Ut autem hæc firmitatis robur obtineant inconvulsum, ego Conradus prædictæ Ecclesiæ prælatus tradidi fidem meam sanioribus & senioribus, nomine juramenti, ut infra spatium 50. annorum nullam fororum recipiam vel recipi patiar. Cæterorum vero Canonicorum juramenta recepi, ut nullus ipsorum aliquam fororem recipiat infra terminum 50. annorum vel recipi patiar: post hunc terminum elapsum quid successoribus nostris complaceat,*

Mulieris sexus pernitiosus sæpe.

Canonicis consuetudo sceminarum interdita.

placeat, arbitrio eorum relinquimus. Consulimus autem, ut & ipsi prædecessorum vestigia ob commodum & salutem suam in his imitentur. Vtinam fiat!

15. *Wernberus* sedit annis 8. Obiit in Februario anni 1283.
16. *Engelberus* sedit 10. tantum mensibus, & viam universæ carnis ingressus ad aliam patriam ambulavit.
17. *Bertholdus*, assumptus de Rotensi cœnobio, eligitur anno Domini 1284. Sedit annis 10. & septimanis 10. Decessit ex hac lachrymarum valle anno 1295.
18. *Henricus* successit Bertholdo, seditq; annis tredecim, & tactus paralyfi cessit anno Domini 1308.
19. *Burcardus* sedit annis quatuor, & obiit in pace anno Christi 1312.
20. *Sifridus* præfuit annis quinque, & obiit anno 1317.
21. *Wernberus* sedit annis sex, & obiit anno salutis 1323.
22. *Conradus*, cognomento *Wolck*, sedit annis quatuor: exiit hominem anno 1328.
23. *Bertholdus Steinerus* sedit annis 9. & obiit anno Christi 1337.
24. *Conradus Gagirus*, assumptus ex Rotensi cœnobio, præfuit annis septem. Sub eo Abbate anno 1344. nobilis Comes Eberhardus de Wirtemberg villam Marchtall & omnes monasterii curtes incendio vastavit in vigilia S. Catharinæ. Cujus rei gratia prædictus præpositus, luctu & mærore percussus, secessit ex monasterio præ nimia paupertate, ita ut Abbacia per biennium vacaret, & præpositus ipse postea à nemine amplius sit vel visus vel auditus, adeo, ut quorsum pervenerit, omnino nesciatur.
25. *Hermannus Huter* sedit annis tribus & decessit año 1347.
26. *Henricus Walch* sedit annis 8. & obiit in bona pace anno Christi 1355.
27. *Eberhardus Gryphius* sedit annis 6. & obiit feliciter anno gratiæ 1361.
28. *Ludovicus Leo* rexit annis 22. vir grandis staturæ. Obiit anno Domini 1383. Sepelitur in media Ecclesia.

Pp

29. Ste-

29. *Stephanus Focnerator* præfuit annis duobus cum dimidio.
 30. *Jacobus Kupferschmid*, Bibracensis, successit Stephano anno Domini 1385. Sedit annis 8. Obiit anno Domini 1393.

31. *Jacobus Klinger*, ex Riedlinga natus, sedit annis 15. bonus & utilis gubernator. Obiit anno Christi 1408.

32. *Henricus Meerfleter*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1408. Fuit ultimus hujus loci monastici præpositus, & allata nova dignitate ex Concilio Constantiensi primus ejusdem Abbas præfuit annis 25. Construxit primo statim regiminis sui anno molendinum, ad aquas mirabili modo sese amittentes & in subterraneas cavernas procidentes. Perpeffus est plurima ad-versa & dura sub Comitibus Wirtembergensibus & Liningensibus. Obiit anno 1434.

33. *Albertus Arator*, Tubingensis, præfuit annis 27. Obiit anno 1461.

34. *Jodocus Planck*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1461. Sedit annis 21. in magna prosperitate. Emit Alleshusium ad lacum Buchoviensem, ubi *Hermanni Contracti* mater cubat. Multa perpeffus à Wirtembergensibus, quia anno 1470. Eberhardus Comes ex Wirtemberg missis satellitibus Abbatem cepit in sua habitatione, nudum & captum cum omnibus clindis ex monasterio abduxit: qui pro redemptione & pace mille aureos Rhenenses numerare coactus fuit. Obiit anno 1482. Sepelitur in media Ecclesia cum tali epitaphio:

C. quater, & semel M, duo des ad octuaginta

Vicesima sexta Maji quoq, corruit ille.

Jodocus Abbas jacet hic in pace sepultus.

35. *Simon Gotz*, Ehingensis, eligitur anno Domini 1482. in die Erasmi, egregius illustrator monasterii, qui omnem Ecclesiasticum cultum studiose adauxit. Obiit anno Christi 1514. in die M. Magdalene, Sedit annis 32. & aliquot mensibus. Fecit fornices templi concameratos.

36. *Joannes Haberkhalt*, Uberlingensis, vir græce & latine non trivialiter doctus, sedit annis 4. Eligitur in die Hermanni Episcopi anno 1514. Obiit anno 1518. congestor & collector dicti.

ditionarii Græci, quod morte præventus non absolvit. Extat ejus tale hexastichon in barbaros quosdam superioris seculi scriptores Iustum:

*Catholicon dudum Gallus sum vectus in orbem
Doctus Alexander cum Huguicione quog.
Ingenium potuit juvenum confundere molle
Nullus, sed nobis gloria tanta tribus.
Gloria magna foret, si concremavemur ubiq.
Suavia nam nostrum commoda nullus habet.*

37. *Henricus Stoltzlin*, vir crassus, eligitur anno Domini 1518. Præfuit laudabiliter 20. annis, & pulcherrimis ædificiis elegantissime exornavit monasterium suum. Obiit anno 1538. Ejus hoc est epitaphion, versibus marmoreæ ejus statuæ subscriptis contextum authore *H. Bebelio*:

*Et vetus & verum est verbum, quo fertur, Olympi
Regnatorem alti semper amare bonos.
Martalio Henricum ut vidit regnare potenti
Egregiis factis consiliisq; bonis,
Mox mundo immundo eripuit, patrieq; beatæ
Sedibus induxit, jussit & esse suum.*

38. *Joannes Gudinus*, ex Uthonis villa natus, eligitur anno 1528. Præest laudabiliter & utiliter hoc adhuc currente Jubilæo. Edificavit denuo ex fundamentis pistrinum & infirmitorium turrimq; quæ campanarum est receptaculum.

Est medio itinere inter Martalense hoc monasterium & collegium Canonissarum Buchaugiense, cœnobium quoddam Eremitarum S. Augustini, Uthonis Villa dictum, in ejusdem nominis pago infra montem Suevum, quem vulgo corrupta & abbreviata voce hodie *Bussium* vocant, in quo præclara est ejusdem nominis arx Baronum Waldburgensium. Id cœnobium fundatum est anno Domini 1450. à Bertholdo, Conrado & Joanne, nobilibus viris de Lapide, Equitibus auratis. Fundator Bertholdus in ipso templi choro splendide sepultus obiit anno Domini 1473. Gubernatorem hujus cœnobii Priorem vocant.

Is erat, quo hæc scripsi tempore belua verius aut faginatus porcus quam homo, nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.

Unlingenium ex nobilium.

Est & monialium Franciscanarum elegans cœnobiolum in eodem ferè tractu paululum supra Bussium montem & arcem, Unlingenium dictum, in ejusdem nominis pago situm. Id anno Christi 1420. à Domino Walthero ab Ellerbach, Equite aurato, inchoatum est, cui postea benefecerunt Dominus Andreas, Comes Solimontanus, qui obiit anno 1511. sororemq; habuit ejus monialium congregationis gubernatricem Magdalenam, quæ anno Christi 1513. cum alia quadam Solimontana, Margareta, Domini Eberhardi Comitis illegitima filia, peste deceffit: & Dominus Wilhelmus, Dapifer Waldburgius, Reverendissimi Episcopi & Cardinalis Augustani Domini Othonis pater, quem ejus loci sorores alterum fundatorem cœnobioli sui appellare non dubitant. Præsidet ibi hoc adhuc Jubilæo honesta Domina Ottilia Vogelmajerina, Memmingensis, electa anno 1527.

Mauris münster/ oppidum & cœnobium.

MAVRI MONASTERIUM, antiquitus Cella Leobardi, cœnobiolum Benedictini instituti vetustissimum ac amplissimum, in ejusdem nominis oppido quatuor milliaribus ab Argentina, versus montana Vosagi, dimidio vero milliari à Tabernis Alfaticis in nobili solo situm, à Beato & Sancto viro Leobardo, oratorium & auditorium illic sibi ac discipulis suis primum construente, in honorem Principum Apostolorum Petri ac Pauli, sanctiq; Episcopi Martini inceptum ac inauguratum est anno Domini 583. sub illustrissimo Francorum in Aufrasia Rege Childeberto, Clodovæi primi Gallorum Regis ad Christum conversi filio, qui totam Marchiam Aquilejensem liberalissimus fundator ac dotator, fratribus Deo hoc ipso loco sub præscripto & regula D. Benedicti vera pietate servituris, perpetuis temporibus possidendam tradidit, quæ donatio postea ab omnibus Christianissimis Regibus Francorum, datis pulcherrimis diplomatis, ratificata & confirmata est. Abbatum hujus amplissimi cœnobii catalogus, etsi mancus, talis tamen à me ex veteribus scri-